

SCRIPTA

Numéro Scripta : 126

Autre(s) référence(s) : Tabuteau 335

Auteur(s) : Robert, Eu (comte)

Bénéficiaire(s) : Le Tréport, Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : pancarte

Authenticité : non suspect

Datation : [1059-1118]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Pancarte de dotation de Saint-Michel du Tréport.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° III, p. 8-20.

Dissertation critique

La pancarte est du début du XII^e siècle, son dernier acte indique la présence d'Étienne, comte d'Aumale (mort avant 1130) venu confirmer une donation faite sous l'abbatit d'Osbern (avant 1101- après le 7 octobre 1118).

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Anno ab Incarnatione Domini millesimo quinquagesimo nono, Robertus, comes Augensis, consilio Maurilii archiepiscopi Rothomagensis et Willelmi Normannorum ducis, sed et aliorum tam episcoporum quam optimatum Normannie, hominumque suorum laude et precipue monitu uxoris sue venerabilis et perpetue memorie commendande Beatricis comitisse, abbatiam in honorem Dei et sancti Michaelis archangeli apud Ulterisportum constituit, et unde monachi ibi viverent, qui pro sui suorumque salute Deum assidue exorarent, uxore Beatrice et filiis suis Radulpho videlicet, Willelmo et Roberto concedentibus atque laudantibus, de suis possessionibus stabilivit, carteque memorie, ne posteris laterent que dederat, sub baronum suorum attestacione quos in fine carte nominabimus, mandare precepit. Dedit igitur eis in Ulterisportu ecclesiam ubi eadem abbatia est constructa, cum tota decima et cum omnibus ad eandem ecclesiam pertinentibus ; et viginti domos in eadem villa, sex in cambis ex ipsis, et duos homines vavassores liberos, et censum lignorum ejusdem ville, et palustrem terram et prata de Mota, et omnem terram arabilem quam in dominio suo in eadem villa, id est in Ulterisportu, habebat ; et omnem consuetudinem hominum illorum qui sunt sancti Michaelis, quicquid omnino sit, hoc excepto quod ad theloneum pertinet. Item, in Ulterisportu et in Augo oppido, dedit decimam denariorum de vicecomitatu, et in utraque villa quicquid abbas et monachi acquirere possent. Quod si homines abbatis piscem qui vocatur sturium capiunt, totus erit sancti Michaelis ; crassus piscis si captus fuerit, ala una et medietas caude erit monachis. Dedit etiam idem comes Robertus eidem ecclesie apud Augum mansionem cujusdam hominis qui vocatur Airi, cum viridario, et alias tres mansiones ; decimamque pasnagii silvarum Augi omniumque essartuum earumdem silvarum, ubicumque fiant ; silvam quoque liberam in opus

monasterii et ministerii monachorum. Dedit etiam terram Maisnilli Vallis cum portu, et quicquid in eodem loco habebat ; Quercetumque Criolii et Maisnilem Soreth liberum et quietum ab omni consuetudine, et quodcumque inde exit ; Maisnilem quoque Adelardi dedit, et villam que Remichum Maisnil vocatur, quam Milo jam dederat predictis monachis ; apud Fulcardimontem, de dominio suo, dedit duos ortos et mansiones quinque hospitem, et unum molendinum. In Fontibus autem, excepto theloneo et parrochia, dedit illud quod, in dominio suo, habebat in terris et pratis et alnetis et marescis, et unam domum liberam, et unum molendinum ubi tota moltura de Grimont Maisnil debet venire, si dominus ville molendino caruerit. Dedit etiam decimam molendinorum Blangioli et Septem Molarum. Item apud Septem Molas dedit ejusdem ville ecclesiam, et quicquid ad eam pertinet, terramque unius caruce, et totam decimam de dominio suo ; in Criolio molendinum unum cum tota moltura de Floscis et de Stanelonde, et de Wiliothuil, et duas mansiones liberas. Ecclesiam quoque dedit de Anedinimare, et fiscum Rogerii ejusdem ville, qui monachus effectus est, et totam terram Gozeldimare. In Verleio unum molendinum dedit, pro anima Rogerii filii Turolidi, et totam terram quam Romeldis, ava ipsius Rogerii, in Verleio habuerat et quam ipse Rogerus ecclesie Sancti Michaelis jam dederat : scilicet medietatem ville dedit comes liberam, et hoc fecit rogatu Beatricis comitisse et matris videlicet ipsius Rogerii. De Buivilla autem, et de Penleio, et de Brunivilla dedit ecclesias et totam decimam, et terram quatuor bobus ; ecclesiam quoque dedit de Gislemercourt cum tertia garba, et ecclesiam Sancti Petri in Valle cum tota decima, et de Burgo Turolidi ecclesiam cum tota decima et triginta quinque acras terre. Basilicis terram ad unam carucam, et ecclesiam cum tota decima, et quicquid ad eam pertinet, et mansiones hospitem duodecim dedit, et Roscelinum de Maton Maisnil cementarium cum fisco suo ; et Sanctum Martinum de Silva liberum et quietum, cum terris et hospitem, et quicquid ad eundem locum pertinet, ubi quondam Gervinus, dompnus abbas Sancti Ricarii, heremiticam vitam duxit. Dum vero ad ecclesiam Sancti Michaelis corpus venerabilis comitisse Beatricis ad tumulandum deferrent feretrumque ejus in loco qui Flamengevilla dicitur cum deposuissent, comes Robertus eundem locum sancto Michaeli dedit, et ecclesiam ibi in honorem vivifice Crucis construere fecit, et quia unum de monachis ecclesie manere precepit, ad ejus victum quem abbas misisset, terram unius caruce et partem sue varenne [dedit]. Decimam quoque thelonei Septem Molarum et Grandicurie omniumque piscium coquine ejus, ut in perpetuum esset [ad usus monachorum], ordinavit et firmiter stabilivit, et de sale et de omni carne que sibi ex Anglia venerint similiter decimam. Dedit idem comes eidem abbacie aquam de Criolio, octo diebus ante festivitatem sancti Michaelis, et ipsa nocte festivitatis ejusdem, aquam de Eu ; similiter, ante festum Translationis sancti Benedicti, aquam de Criolio concessit eidem ecclesie quatuor diebus, et ipsa nocte festi, aquam de Eu. In Anglia dedit Boniton et quicquid ad eam pertinet in terris et hospitem et ceteris rebus. Hiis et multis aliis beneficiis comes Augensis Robertus ecclesiam Sancti Michaelis de Ulterisportu decoravit, et de hiis omnibus que sui homines in toto comitatu suo eidem ecclesie dederant vel daturi erant, excepto capite honorum suorum, concessionem fecit, ac successoribus suis hoc annuentibus et pro posse suo res ipsius ecclesie augentibus benedictionem, calumpniantibus vero et res ipsius ecclesie retrahentibus eternam maledictionem indixit, et tremende excommunicationis vinculo ligare fecit. Quo modo, et ipso presente, sui homines vel alii benefactores ejusdem ecclesie contulerunt, hic cum singulorum testibus subscriptum est : Hugo vicecomes, pater Guiberti de Duneio, dedit, pro sua et antecessorum animis, ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, XXX acras terre apud Ulterisportum, et hoc fecit concessu filii sui Guiberti, et concessu comitis Augensis Roberti et comitisse Beatricis, ac filiorum ejus Willelmi videlicet et ceterorum, ipso comite Roberto teste, et filiis et baronibus suis. Willelmus Cauchis dedit, pro sua et antecessorum suorum anima, ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu terram quam tenebat in Augo oppido, et viridarium unum pro anima Willelmi filii sui, et in Ulterisportu mansiones duas et totam terram Montis Goberti, et duo jugera prati apud Flamengevillam, et apud Criolium alia duo jugera prati, et quicquid habebat in Septem Molis, et hoc fecit concessu comitis Roberti et comitisse Beatricis, ac filiorum eorumdem Willelmi videlicet et ceterorum, ipso comite Roberto teste, et filiis et baronibus suis. Ricardus Boistel et Hilduinus de Blangi, pater Turstini et Rodulphi monachi, et Turstinus de Grimont Maisnil et Henricus Jaillardus dederunt ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, pro sua et antecessorum suorum anima, unusquisque duas garbas de fisco suo apud Blangiolum, et hoc fecerunt concessu comitis Roberti et comitisse Beatricis, ac filiorum eorumdem Willelmi et ceterorum, ipso comite Roberto teste, et filiis et baronibus suis. Henricus Morstellensis dedit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, pro sua et antecessorum suorum anima, viginti jugera terre in Fontibus et duas garbas decime, concessu comitis Roberti et comitisse Beatricis, ac filiorum eorumdem Willelmi et ceterorum, ipso comite Roberto teste cum filiis et baronibus suis. Anscherus de Riu senex dedit, pro sua et antecessorum suorum anima, ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu decimam suam de Riu, concessu comitis Roberti et comitisse Beatricis, ac filiorum eorumdem, ipso comite Roberto teste cum filiis et baronibus suis. Wibertus de Basinval et Helduinus Forestarius dederunt, pro sua et antecessorum suorum anima,

ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, unusquisque duas garbas de terris suis quas tenebant apud Basinval, et hoc fecerunt concessu comitis Roberti et comitisse Beatricis, ac filiorum eorundem Willelmi videlicet et ceterorum, ipso comite teste cum filiis et baronibus suis. Walterus ad barbam de Davidis Villa dedit, pro sua et antecessorum suorum anima, ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, duas garbas decime de fisco suo, quem tenebat apud Moncheium, et hoc fecit concessu uxoris sue et filiorum suorum, et concessu comitis Augensis Roberti et comitisse Beatricis, ac filiorum eorundem Willelmi ac ceterorum, ipso comite teste cum filiis et baronibus suis. Goscelinus de Bernon Maisnil et Osmondis uxor ejus dederunt ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, pro sua et antecessorum suorum anima, terram de Seifredi Villa, et hoc fecerunt concessu Goiffredi, patris Oilardi de Cuvervilla, et concessu comitis Roberti et comitisse Beatricis, ac filiorum eorundem Willelmi et ceterorum, ipso comite teste cum filiis et baronibus suis. Rogerus, filius Tuoldi, dedit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, pro sua et antecessorum suorum anima, apud Guilmercourt fiscum duorum hominum, videlicet Goiffredi filii Romeldis et Rogerii filii Henredi, et hoc fecerunt concessu comitis Roberti et comitisse Beatricis, ac filiorum eorundem, ipso comite teste cum filiis et baronibus suis. Radulphus qui non videt, pater Radulphi de Grantcourt, dedit, pro anima sua et antecessorum suorum, ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu quandam decimam quam habebat apud Grantcourt, et hoc fecit concessu Radulphi filii sui, et concessu comitis Roberti et comitisse Beatricis, ac filiorum eorundem Willelmi et ceterorum, ipso comite teste cum filiis et baronibus suis. Willelmus Talebot dedit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, pro sua et antecessorum suorum anima, servitium terre Sansgolonis quam habebat in Gilermercourt, et hoc fecit concessu comitis Roberti et comitisse Beatricis, ac filiorum eorundem Willelmi et ceterorum, ipso comite teste cum filiis et baronibus suis. Alvredus de Grantcourt, pater Roberti, dedit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu duas garbas decime de terra sua, quam habebat apud Grantcourt, et hoc fecit pro sua et antecessorum suorum anima, et concessu filii sui Roberti, et Roberti comitis Augensis et comitisse Beatricis, ac filiorum eorundem, ipso comite teste cum filiis et baronibus suis. Radulphus, filius Alvredi, dedit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu totam decimam totius terre sue quam habebat apud Penluy, et hoc fecit pro sua et antecessorum suorum anima, et concessu comitis Augensis Roberti et comitisse Beatricis, ac filiorum eorundem, ipso comite teste cum filiis et baronibus suis. Goiffridus, filius Rainoldi de Sancto Martino Jaillardo dedit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu decimam de terris hominum suorum quam habebat, in dominio suo, et apud Sanctum Martinum, et apud Toht et apud Merlin Campum, et hoc fecit pro anima sua et antecessorum suorum anima, et rogatu fratris sui Willelmi qui monachus factus est apud Ulterisportum, et concessu comitis Roberti, ac filiorum ejus Willelmi et ceterorum, ipso comite teste cum filiis et baronibus suis. Claremboldus, pater Richardi de Tochevilla, dedit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu duas garbas decime de Tochevilla, et hoc fecit pro sua et antecessorum suorum anima, et concessu Oylardi domini sui et filiorum ejus Goiffredi et Ricardi, et concessu comitis Roberti, ac filiorum ejus, ipso comite teste cum filiis et baronibus suis. Robertus de Salceio, frater Ricardi de Fraevilla, dedit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu ecclesiam de Salceio et totam decimam, et quicquid ad eandem ecclesiam pertinet, et unam acram prati, et hoc fecit pro anima sua et antecessorum suorum, et concessu comitis Augensis Roberti, ac filiorum ejus, ipso comite teste cum filiis et baronibus suis. Ricardus, filius Roberti de Fraelvilla, pater dompni Osberni abbatis et Anelli de Fraelvilla, dedit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu totam decimam ville que dicitur Gregneius, et hoc fecit monitu uxoris sue venerabilis et religiose matrone Gile, et amore filii sui Osberni tunc apud Ulterisportum monachi, et pro salute sui et suorum antecessorum, concessu videlicet filiorum suorum Anelli et Rogerii et Rorgonis aliorumque, et concessu comitis Roberti, ac filiorum ejus, ipso comite teste et filiis et baronibus suis. Ricardus de Lonreio, pater Bartholomei, dedit, pro sua et antecessorum suorum anima, decimam de Bosco Ricardi ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, et hoc fecit concessu filiorum suorum Bartholomei et Anscheri, et concessu comitis Roberti, ac filiorum ejus, ipso comite teste cum filiis et baronibus suis. Milo de Asseigny dedit, pro sua et antecessorum suorum anima, duos ortos et duas garbas decime de Asseigny ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, ita libere ut eas extunc homines ville ad domum monachorum adducerent, sicuti ad suam pridem facere ex debito solebant ; et hoc fecit concessu uxoris sue et filii sui Roberti, et concessu comitis Roberti, ipso comite teste et Galtero Girardo dominis suis multisque baronibus aliis. Robertus de Petroponte et Godefredus filius ejus dederunt ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, pro patris et matris et antecessorum suorum anima, decimam de Cuvervilla quam tenebant de Oylardo domino ejusdem ville, et hoc fecerunt concessu ejusdem Oylardi domini sui, ac filiorum ejus Gauffredi et Ricardi, et concessu comitis Roberti, ac filiorum ejus, ipso comite teste cum filiis et baronibus suis. Oisterlandus, quidam miles comitis Roberti, qui filium ejus Willelmum nutriverat, apud Ulterisportum monachus devenit, et villam que Maisnillus Oisterlandi dicitur ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu dedit, quam comes Robertus eidem ecclesie, precibus Willelmi filii videlicet sui, et ut in perpetuum esset ad usus pauperum, in ministerium elemosine cum monachis ordinavit ita liberum et quietum, sicut ipse suum possidebat honorem. Inter hec et alia multa beneficia que idem comes eidem ecclesie fecit, dedit et ecclesiam Sancti Walarici de Monte Aquoso, et terram et cetera ad eandem ecclesiam pertinentia, et precepit ut in ministerium altaris in perpetuum esset, et ne aliquis ab eadem ecclesia hoc ab altaris servitio amovere auderet, sed ita ut statuerat firmum usque in finem remaneret. Horum donorum, tam comitis Roberti quam ceterorum quos predixi benefactorum hujus ecclesie, testes subscripserunt, id

est : ipse comes Robertus, et Rodolphus et Willelmus et Robertus filii ejus, et Hugo vicecomes, et Gaufridus de Bailliol, et Galterius ad barbam de Davidis Villa, Ricardus de Lonreio, et Gaufridus de Cuverville, Rainoldus de Sancto Martino et Robertus de Maineriis, Ricardus de Fraelvilla et alii multi quos longum esset nominare.

Guillermus, dux Normannorum, dedit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, pro sua et antecessorum suorum anima, terram de Falcis, que est juxta Burgum Turoidi, liberam et quietam, et hoc fecit concessu uxoris sue, Matildis nomine, et filiorum suorum Roberti et Willermi ejusdem rei testium. Osbernus Rufus dedit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu totam decimam medietatis aceriorum, teste Ricardo de Fraelvilla et Ancello filio ejus et multis aliis. Venerabilis Havis, mater Audulfi de Braci, dedit, pro sua et viri sui antecessorumque suorum anima, ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, decimam quam habebat apud Acum Maisnil, et hoc concessit filius ejus Audulfus, et post mortem patris Nuervo, Audulfi filius, teste Gauterio de Sancto Martino et Gaufrido de Sancto Albino et multis aliis. Goiffridus, filius Fulconis, dedit decimam quam habebat apud Boaffles ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, pro sui suorumque salute, teste Fulcone Clerico, et Roberto de Alneio, et Berengario sororio Gaufridi et multis aliis. Hugo de Riu, filius Anscherii, et Mazerina uxor ejus, dederunt ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu ecclesiam Sancti Severini apud Blangiolum, concedentibus filiis suis Anscherio, Willelmo et Radulfo, atque Ancello de cujus feodo erat, coram hiis testibus : Hilduino Forestario, Turstino de Grimont Maisnil, et Berungario de Campaingneio et multis aliis. Henricus Visa dedit, pro sua et antecessorum suorum anima, ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu medietatem ville que vocatur Frastineta, et medietatem bosci ejusdem, et ecclesiam Sancti Nicholai quam in eadem construxerat villa, et hoc fecit concessu Berthe uxoris sue et filii sui Willelmi, et concessu comitisse Albemarle Aelidis, ac filii ejus Stephani ; testes : Ancelinus Calvus de Frastineta, Berengerius de Alneto, Gerardus filius Tenfredi, Geroldus de Horneio, et Guido frater ejus et multi alii. Post obitum vero patris, Guillelmus Visa, una cum matre sua Bertina, fecerunt donum de Frastineta ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, et posuerunt illud super utrumque altare, sancti videlicet Michaelis sanctique Nicholai, teste Adelino Calvo Pagano de Gouvincourt, et Haimerico de Fanencourt, et Radulfo de Restoval, et Alvredo nepote abbatis et multis aliis. Iterum autem Willelmus Visa fecit concessionem de Fraxineta ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, videlicet apud Albemarlem, quadam die sabbathi in foro, [teste] Guiberto decano, et Goiffrido filio Fulconis, et Berengario de Alneto et multis aliis. Walterus Giffardus et Agnes, uxor ejus, concesserunt ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, pro sua et antecessorum suorum anima, ecclesiam de Haimedis que ad eam pertinebat, et hoc factum est apud Ulterisportum, die festivitatis Omnium Sanctorum, teste Milone de Assegny, et Roberto ejus filio, et Roberto de Becco, et Walterio fratre ejus multisque aliis. Willelmus, filius comitis Augensis Roberti, adhuc patre vivente, dedit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu ecclesiam de Haimeis cum tota decima, et terram trium hospitum ad eandem ecclesiam pertinentem, teste comite Roberto patre suo, et Lamberto de Sancto Sidonio, et Goiffrido de Sancto Martino, et Ricardo de Lonreio et multis aliis. Post obitum vero patris sui, quando jam comitatum adeptus esset, dedit eidem ecclesie decimam molendinorum Furcardimontis et decimam molendinorum Criolii, eo tenore ut in dominio essent altaris ecclesie Sancti Michaelis ad luminare. Dedit et terram Calvei Pagani, quam ipse Paganus prius dederat eidem ecclesie, quando effectus est monachus. Dedit et centum quadraginta jugera terre in Monte Aquoso, in excambio Giroldimare et Anedinimare. Hic etiam comes Augensis Willelmus concessit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu quicquid pater suus, comes Robertus, eidem ecclesie dederat et concesserat, et hoc donum posuit super altare ejusdem ecclesie, teste Goiffrido de Sancto Martino, et Osberno de Bailloel, et Radulfo de Grantcourt, Walterio de Davidisvilla, et Oilardo de Cuverville, et Ancello de Fraelvilla et multis aliis de baronibus suis. Alveredus de Lupicauda concessit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu quicquid pater suus eidem ecclesie dederat, et ex parte sua dedit tres acras terre arabilis, concessu Roberti filii sui, teste Radulfo de Grantcourt. Egidius de Merulevilla dedit, pro sua et antecessorum suorum anima, decimam quam habebat in Verleio ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, et hoc fecit concessu filiorum suorum Turstini, Hugonis et Reinoldi, et concessu comitis Willelmi, ipso comite teste, et Radulfo de Grantcourt, et Goscelino Trenchefoil et multis aliis. Romerius de Doith dedit duas garbas decime, quam habebat apud Doith, ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, pro Guilleberto filio suo quem ibi fecit monachum, et hoc fecit concessu Radulfi de Grantcourt, ipso teste et Alvredo de Lupicauda, et Alvredo Escroel et multis aliis. Osbernus de Doith dedit duas garbas decime, quam habebat apud Doith, ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, pro sua et antecessorum suorum anima, concedente uxore sua et filiis suis ; testes : Radulfus de Grantcourt, et Radolphus filius ejus et multi alii. Robertus de Monceio dedit, pro sua et antecessorum suorum anima, ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu duas garbas decime quam habebat apud Monceium, annuente uxore sua et filiis suis, et Walterio de Davidisvilla de cujus feodo erat ; testes Alvredus vavassor et alii multi. Rogerius Bailloil de Fucardimonte dedit, pro anima sua et antecessorum suorum, ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu quandam

decimam quam habebat apud Fucardimontem et duos hospites in Ulterisportu, et hoc fecit concessu comitis Willelmi ; testes hujus donationis fuerunt : Hugo vicecomes, Abraham de Petra, Nicholaus de Criolio et filius ejus Goscelinus multique alii. Mabilia de Septem Molis, filia Gonduini, dedit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, pro anima Hugonis de Ulmeio, viri sui prioris, quatuor jugera terre juxta assultum Durandelli, ex altera parte vie ; testes : Vermundus vavassor, Radulfus de Capeval, Alvredus miles et multi alii. Eadem mulier, pro anima secundi viri sui, Roberti de Gal, [dedit] ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu tres jugera terre, concessu sororis Alberede, teste Balduino Presbytero, Widone [de] Goisnummara et Ricardo hominibus ipsius, Alvredo milite, et Alvredo vavassore et multis aliis. Petrus de Grantcourt, prepositus, dedit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, pro sua et antecessorum suorum anima, duodecim jugera arabilis terre in Hulseensi, concessu Rainoldi filii sui, teste Radulfo de Grantcourt et filio ejus Rogerio, et Walterio de Davidisvilla et filio ejus Walterio, et Abraham de Grantcourt et multis aliis. Gulbertus de Haimeis, et Alvredus et Gillebertus Malus Respectus, et Galterius Camerarius et alii omnes vavassores ejusdem ville dederunt decimas suas, quas tenebant in manu sua, ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu, concessu comitis Willelmi, Gaulterii Giffardi, Agnetis uxoris ejus, iisdem testibus. Ancellus de Chaio concessit ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu ecclesiam Sancti Severini de Vimeu, cum omni sibi adjacenti loco, tam de luco quam de cetera arabili terra, sed et Balduinus, filius ejusdem, preterea concessit eidem ecclesie apud Ulterisportum et super sanctum altare posuit donum, teste Ancello de Fraelvilla, Willelmo de Moncellis, Ingeranno de Riveriis, Rainaldo Aurifabro, et multis aliis. Stephanus, comes Albemarlensis, mare transiturus, tempore Rogationum, cum uxore sua Havisia Ulterisportum advenit, ibique a donno Osberno abbate honorifice susceptus, concessit donum de Fraxineta, quod Henricus Visa et Guillelmus filius ejus ecclesie Sancti Michaelis de Ulterisportu fecerant ; et de his omnibus que jam dicta ecclesia habebat vel habitura erat a suis hominibus, tam in territorio Albemarle quam in vicecomitatu suo de Vimou, ubi Truncetum et quedam alia a Geroldo de Horneio habebat ecclesia, firmam concessionem fecit, et donum super altare sancti Michaelis ipse, et uxor ejus, posuit ; testes : Goiffridus filius Fulconis, Beringerius de Alneto, Sansgalo de Conceio, Guillelmus Warnerius, Robertus Basseth, Stephanus cubicularius, Wibertus dapifer et multi alii.